



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

347. An, dum tale beneficium impetratur à Papa tanquam vacans per obitum, necesse sit facere mentionem mensis, & exprimere speciem vacationis inductæ per hanc regulam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

n. 12. citans Sarnenf. *hic* q. 33. n. 2. & 3. Rebuff. *hic* gl. 14. n. 5. Boerium *de* cis. 348. n. 3. & à fortiori AA. illi antè citati pro sententia prima; dum enim regula hac imponas pœnam nullitatis resignationis, & inducens vacationem per obitum introducta ad coercendas fraudes, ne scilicet ex fraude & dolo commodum & fructum ex dictis resignationibus consequerentur resignarii in præjudicium ordinariorum collatorum, utique spectat favorem Ordinariorum, adeoque quod in favorem illorum inductum est, æquitas postulat, ut non detorqueatur in eorum odium, & præjudicium, uti contingeret, & cederent hujusmodi resignationes in præjudicium Ordinariorum, si talia beneficia resignata, etiam in manibus Ordinariorum, essent reservata Papæ, seu subtraherentur eorum collationi. Paris. *loc. cit.* n. 13. Adde, quòd reservatio sit odiosa & restringenda, & per consequens non inducenda, nisi in casibus expressis, juxta Gemin. Bellam. Calder. & c. apud Paris. *cit.* n. 13. Jam verò regula non inducit reservationem in resignatis extra Curiam; cum de hoc nullum in ea verbum dicatur. Paris. *ibid.* Neque etiam (quæ est ratio Lotterii *loc. cit.* n. 58.) in hoc casu facta resignationis coram Ordinario ostendi potest reservatio ratione loci, uti factum in precedente casu, nempe resignationis tentatæ in manibus Papæ; sive enim attendamus obitum verum, sive fictum, semper locus vacationis est extra Curiam; cum enim regula fingat, eum obiisse tunc, cum fuit tentata resignatio, resignatio autem tentata sit extra Curiam, nimirum coram Ordinario, impossibile est, fingere locum vacationis in Curia. Neque etiam obendi potest reservatio ratione temporis, ut Lott. n. 59. nempe mensis, in quo contigit ista ficta mors, dum nimirum tentata resignatio in mense Apostolico, quia repugnat æquitas, ut Lott. n. 60. ut, quod in dicta suppositione seu fictione regulæ in favorem collatorum inferiorum introductum, in eorum odium detorquetur non debet, ut dictum. Sicut econtra evitari nequit reservatio regulæ reservatoriam mensium, si post tentatam resignationem hujusmodi obitus verus contigisset in mense Apostolico. Lott. n. 58. quia alias manifestè aperiretur via fraudibus contra ipsum conditorem regulæ; & sic non tantum non consisteret æquitas pro retractione seu translatione temporis obitus, sed palpabilis insurgeret iniquitas, ut idèd hoc casu non adeo observari debeat vis hujus regulæ fingentis, quin prævaleat vis regulæ reservatoriam mensium, quæ dum concedit inferioribus facultatem providendi de vacantibus per obitum in certis mensibus, intelligitur de obitu naturali vero, non de civili & ficto. Ità ferè Lott. n. 61.

4. Porro ampliatur responsio, ut licet Ordinarii contulissent tale beneficium perperam ut vacans per resignationem, possint tamen denuo illud ut vacans per obitum conferre; licet enim regula annuller collationes talis beneficii factas in vim resignationis, non tamen ob id malè factum aufert potestatem conferendi tanquam per mortem vacans. Paris. *cit.* q. 10. n. 19. citans Rebuff. *in pr.* ad hanc reg. gl. 12. n. 15. ubi etiam is n. 20. testatur, sic resolutum à Rota, & *cons.* 72. ubi adducat rationes, & respondeat contrariis.

*Questio 347. An dum tale beneficium impetratur à Papa tanquam vacans per obitum, necesse sit facere mentionem mensis, & exprimere speciem vacationis inducæ per hanc regulam?*

1. Respondeo ad primum affirmative. Ità sentire videtur Lott. l. 3. q. 15. n. 22. ubi ait; Nihilominus si resignatarius obtineat novam provisionem tanquam de vacante per obitum, juxta regulam teneatur exprimere mensem, aliàs ei obstat regula de mensibus.

2. Respondeo ad secundum affirmative quoque Paris. l. 12. q. 10. n. 23. citans Sarnenf. *hic* q. 35. n. 4. eò quòd vacatio obitus, de qua in hac regula, sit ficta (saltem quoad modum) & in materia ambigua, ut sunt impetrationes, appellatione vacationis autem veniat vera, non ficta & qualificata. Paris. *ibidem* n. 24. & 25.

*Questio 348. An, si facta resignatione in manibus Papæ, ante consensum præstitum (intellige, in Camera vel Cancellaria Apostolica) moriatur Papa, & post mortem Papæ præstetur nihilominus hic consensus, & resignans dein moriatur infra viginti dies à præstito consensu illo, locum habeat regula?*

Respondeo negativè Paris. l. 12. q. 11. n. 1. ex Sarnenf. *hic* q. 32. n. 4. dies enim illi viginti supervientis post præstitum consensum à regula constituti non ardebunt in hoc casu resignantem; quia regula Cancellariæ per mortem Papæ expirant, adeoque jam remoto obstaculo regulæ hujus, resignatio regulabitur juxta jus commune, & sic beneficium vacabit per resignationem. Paris. *ibid.* n. 2. Secus tamen esse tradit Paris. *ibid.* n. 6. ex eodem Sarnenf. *loc. cit.* n. 7. si vivente adhuc Papâ dictus consensus fuisset præstitus, eò quòd, licet tunc moriatur Papa unà cum resignante intra illos viginti dies à præstito consensu, locum habeat regula, eò quòd tunc semel locum habuit regula: adeoque videatur tunc etiam mortuo Papâ durare ejus effectum, ut Decius, Anchar. Jo. And. Paris. n. 7. Item secus esse, ait Paris. n. 4. & 5. in Gallia, utpote ubi regula hac non extinguitur per mortem Papæ, quia lex regni facta est per registrationem & receptionem in Parlamento, teste Rebuff. *hic* gl. 9.

*Questio 349. An, qualiter (pro diversis casibus, qui hic incidere possunt) & à quibus derogetur huic regula?*

1. Respondeo ad primum primò: In permutationibus plerumque consuevit Pontifices derogare huic regulæ. Paris. l. 12. q. 14. n. 1. Azor p. 2. l. 7. c. 28. q. 10. citantes Rebuff. *super concordat. rubric. de collat. §. volumus.* Mandos. *in pr. signat. grat. tit. derogationes regular. vers. regula prædicta.*

2. Respondeo ad primum secundò: In aliis resignationibus teste Mandosio *loc. cit.* sapius derogatum tempore Leon. X. tempore verò Pauli III. non nisi rarò ex magno favore, & importunis potentium precibus. Azor *loc. cit.* Paris. *loc. cit.* n. 2.

3. Respondeo ad primum tertio: Extra Italiam solero